









1725

1. Bastineller, Gellh. Christianus: Ordinis juridici
... Decanus: Coctori benevole s. p. 7. (ad Disputa-
tationem Ernesti Adolphi Nestori immitat.)
2. Bastineller, Gellh. Christianus: De successione animalis
in fensu praerogativa imperii
3. Bastineller, Gellh. Christianus: De donationibus ante et
post ingressum nuptiarum
4. Berger, Fr. Gottfriedus, de: Rector... circa academi-
cis s. p. 1. (Carmen: p. p. scriptis natalitius
servatoris 1725)
5. Berger, Fr. Gottfriedus, de Rector: Circa academi-
cis s. p. 1. (festum natalitium Christi pie celebra-
tum immitat.)
6. Berger, Fr. Guilielmus: De Trajano non optimo
7. Chladenius, Frater Henricus: De jure delictorum circa
electionem in causis alternatiis.

20. Menckes, Gtfr. Ludw: De principe imperii
 in promissis unquam privati factis et quam
 libertatem lege determinatam occurrere
 non abstracto
21. Menckes, Gtfr. Ludw: De valida intercessionem
 mulieris Hto Vellejus remunerantis
22. Schamburg, Joh. Gtfrp.: De aequitate et una
 proutica l. 2 C. de resicm. vend.
23. Weidlers, Fr. Fridericus: De quaestione: An hypothecia
 et hypothecibus omnia liberari possit? discutit et una
 philosophice et artis practicae candidatus ad solennia
 honorum philosphicorum . . . distrib. . . . invitat ^{Astronomia}
24. Wenker, Fr. Balth: Ord. jur. . . decus: Lectori benevol
 o. d. (ad Disputationem solennem Johanni Christophori
 Pfluckneri invitat)
25. Wenker, Fr. Balth: Ord. jur. . . dec: Lectori benevol
 o. d. (ad Disputationem solennem Fratri Georgio Alle
 Jani invitat)

Belleme

26. Wenter, Joannes ^{Federicus}, Ordini Juridici . . . h. t.

Prodecanus lecturi generalis s. s. (ad Disputationem solennem Fr. Godefridi Schramburgii innotat.)

27. Wenter, Fr. Ball.: De beneficio ordinis seu casibus
suis processu extraneo ad verum creditorem
. . . competente.

28. Wenter, Fr. Fed.: De paucis infirmitatibus in officio
vero equitatis ad illas infirmitates necessarias

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]







1725



RECTOR
ACADEMIAE VVITTEBERGENSIS
IO. GOTHOFREDVS
DE BERGER
CONSILIARIVS AVLICVS ET
ARCHIATER REGIVS ORDINIS
MEDICI PROFESSOR PRIMARIVS AC
TOTIVS ACADEMIAE SENIOR
CIVIBVS ACADEMICIS

S. P. D.





alue igitur *Diuine Puer*, cui pontus, et aether,
Pallentesque domus Erebi, furialia regna,
Et tellus atque arua sonant; cui muneragen-
tes
Larga ferunt, flectuntque genu; quem se-
cula dudum

Prisca petunt. Calidas tendunt iactata per auras
Brachia, promissamque optant sperantque salutem!
Nunc ades, *Expectate diu!* Neque pectore condi-
Ulterius se sanctus amor, neque nostra morari
Gaudia TE patitur; patria TE sede uocatum
Cogit in angustos artus, de numine numen,
Virgineoque sinu, et tecti *Te* pauperis umbra
Claudit, et humana, *Te*, uestit, *Maxime*, forma.

Salue igitur, *Promisse Puer*, qui compede crura
Soluis, et innexo deducis uincula collo:
Tortorique rapis fasces, et mitia solus
Scepra geris, requiemque Tuis, atque aurea condis
Secula, securosque iubes procedere mentes.
Rex hominum pacisque dator! cui cura parentis
Imperium sine fine dedit, quo ducere gentes
Possis, atque nouis componere legibus orbem,
Nos etiam *Tua* turba sumus; nos portio magni
Imperii, dictaeque *Tuo* de nomine gentes;
Nos ortus quoque cura *Tuis*, promissaque tangunt
Gaudia; nos quoque Regis honos, et foedera coeli.
Accipe nos etiam, *Princeps mitissime*, ciues;
Inter et aethereas acies, et mille canentum
Agmina, *Christe*, tuas circum labentia cunas,
Audi etiam nostros, mille inter carmina, cantus.

Huc ades, o quicumque tuum, sub pectore, uulnus
Æger alis; pomique coquis furialis anhelus
Reliquias, patriaeque trahis contagia culpae;
Et pondus deforme, ingens, circum anxia uoluis
Viscera, et ingenito miserabilis urere morbo
Huc ades, o quemcunque pudor, de limine Regum
Paupertasue, genusue fugant; et conscia sortis
Cura suae, obscuri tenet inter tegmina tecti!
Huc ades, o regemque tuum, dominumque saluta
Supplicibus coram officiis. Non atria custos
Obsidet illa tibi infestus; frictaue securi
Imminet; aut triplex inductum, limina, ferrum
Claudit, et inuisis uenientem postibus arcet.
Tuta uia est, et aprica tuum praecepia *Regem*
Excipiunt, foeno impositum atque virentibus herbis.
Duraque difficili constringens fascia nodo
Continet, et cupidis sua seruat pignora terris.
Hos sibi delegit cultus; multum nescit

Serica, nec Tyrio saturatam murice uestem
Ille capit; gemmasque, suae miracula dextrae;
Aut Regum, quas fecit, opes. Ne tristis egentem
Arceat hoc te rege timor; sed nudus et hospes
Atque ruinosi iacet inter fragmina tecti.

Non pudet auctorem rerum, mortalia carne
Membra tegi, teneraque Deum de uirgine nasci;
Vt sibi conueniat tecum, et tua pondera tergo
Excipiat, magnisque laborem absoluat amoris.
Ipse uocat, blandisque oculis, tenerisque labellis
Subridet, gens aegra, tibi; lacrymasque cadentes
Abluit ipse manu lacrymans; fluitantia ficitat
Vulnera, fraternoque calefcunt gaudia uultu.
Nec genus adspernatur enim, neque lumina fratrem
(Sic oculos, sic ille manus, sic commouet ora)
Dissimulant; nostraue negat se stirpe creatum.

Scilicet illa tua est, magni de sanguine fratris
Nobilitas, coelum genere, et tua sidera tangis,
Nunc adeo cognatus, homo. Sic prima parentum
Eluitur genti labes, et crimen et omne
Dedecus auctoris purgat, stirps altera, nostri

Te socium sibi nempe cupit; tua sarcina dulce
Munus erit. sua dona sacris tibi condita cunis
Seruat ouans, rotusque tibi debetur, et omne
Imperium parti, secum, tibi destinat orbis.
Non etenim, paruus quamuis uideatur, et infans,
Exiguus regit imperiis, aut limite claudi
Ardua regna finit; sed coeli inuicta potestas
Inclinata humeris recubat, miraue uerendum
Maiestate caput, nostraeque incognita menti
Consilia, in nostram, sequitur, cessura salutem.
Nec coeptis deerit Virtus; quam largus egenis
Commodet, et rabidos acer conuertat in hostes;
Denique diuinum, patris clementia, uultum
Occupat, et pacem fessis, atque otia terris
Dispensat, princepsque suo dominatur in orbe.

Vnde uenis, Diuine Puer? quae cura parentis
Demittit gremio, et nostras inuisere sordes,
Atque hominem socio cogit coniungere regno.
Tu Deus es, de patre Deo; Tibi lilia circum
Colla tument, sanctique, rosas complectitur, oris
Purpureus color, et pulchro bene certat olympto.
Nos tristes animae, deformis et aspera turba,
Horror in ore sedet, foedo manantia tabo
Membra rigent, culpaque memor sedet anxia circum
Corda metus, trepidasque agit exfugitque medullas,

Et sine TE Stygio praedam nos destinat Orco.
Scilicet is Te vincit amor? stupet orbis et aether
Attonitus, mirumque pius ueneratur amorem,
Et gaudet, plauditque *Tibi*, pudibundaque cantat
Mille coquens intus pietas in carmina uires.

Sic solet, incertam lucis sine munere uitam
Qui trahit infelix, nullos procedere soles,
Non coelum, non arua uidet, non stagna profundi
Vsurpare potest oculis; rerumque colores
Nescit, et incultis pauidus male palpat oris;
Mox adeo, cum mane pio miseratus amore
Excudit obductas squamas, oculosque recludit
Artifici Deus ipse manu; et iam lumina primum
Admisere diem; stupet, et sua munera tardus
Non capit, obtutuque haeret defixus in uno
Multa putans animo, et rerum miracula cernens,
Ipse fidem negat, ipse sibi; tandemque reuersus
Secum animo, erectis ad conscia fidera palmis
Plaudit ouans, uisoque canit sua carmina coelo.

Talibus officiis, tali tua munera uultu
Accipimus, *Diuine Puer*, qui gentibus ortum
Lumen ades, tenebrisque Stygis, noctique profundae
Eripis, et patrio *cives* considerare regno
Tandem posse dabis; tandem, cum classica terras
Concutient, referetque *Tuos* lux ultima uultus.

Vos quoque Pierii iuuenes, quos igneus ardor
Intus alit, plenisque animat uis impigra uenis,
Vos etiam, *aligeras* acies, atque agmina coeli
Inter, et ortu uenientes cardine reges,
Pastorumque manus socias, iuuenumque cateruas,
Euocat ad praesepe Puer; dumque ossibus imis
Robur inest, agilisque tenet feruentia passim
Membra calor; uestro laudari carmine, uestro
Inprimis probat ore cani; notinaque uerba,
Mitis, et ingenuam mentem, cupidamque salutis,
Optima ad exiles poscit donaria cunas.
Ite igitur, sociate gradus; coniungite uires.
Nunc autem et festis cumulate altaria donis.

P. P

IPSIS NATALITIIS SERVATORIS

A. R. G. CIOIOCCXXV

LITERIS SCHROEDERIANIS

Wittenberg, Dies., 1725

ULB Halle 3
004 775 759


f

30 Stk

SB

W 18
W 18 bot 12





1725



RECTOR
ACADEMIAE VVITTEBERGENSIS

IO·GOTHOFREDVS
DE BERGER

CONSILIARIVS AVLICVS ET
ARCHIATER REGIVS ORDINIS
MEDICI PROFESSOR PRIMARIVS AC
TOTIVS ACADEMIAE SENIOR

CIVIBVS ACADEMICIS

S. P. D

